



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1657**

§. 109. Accenso autem igne in atrio. v. 55.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45549**

rus Filius Anani; & Simon filius Canuthi; uti testatur Iosephus in hist. Iudaica; ad illum igitur Caipham ductus est Dominus; quæ enim alium intelligemus? quam eum qui concilium de occidendo Christo convocavit, & in eo consilium dedit, de occidendo Domino vero agno tollente mundi peccatum!

**V**erè sacerdotes Levitici generis fuerunt laviones, mactabant enim bestias; sed & hîc fuerunt omninò carnifices, quia hominem occidere properarunt. Qualis igitur horum princeps fuerit, facile, apparet ex turba. O quam pulchrum & purum sacerdotium novæ legis, in qua non vituli aut boves, multo minus homines mactantur, sed panis & vinum & sub horum specie Dei filius, quotidie purissimè immolantur.

§. 108. Petrus vero sequebatur à longe. v. 54.

Timore pariter & amore percussus; Timore, ne fortè cum Christo uti percussor ministri pontificij & Christi defensor caperetur, & pœnæ audaciæ contra cohortem Romanam, se solum opponendo, & oppugnando lueret capitalem: Amore, ne videretur omninò deseruisse bonum Magistrum, post tot illi factas promissiones, de secum eundo, ad passionem & mortem: à longe autem sequitur Petrus, quia medium aliquod elegerat inter Christi amicitiam & Apostasiam: sed foras adhuc in eo nobis maxima sit admiratione reverendus, quod Dominum non reliquit, etiam cum timeret; merus naturæ erat: sequi Dominum pietatis. Miserum quod timet: Beatum quod non fugit: quod sequitur devotionis est; quod negat obreptionis. Commune quod labitori fidei quod pœnitet.

**O** Anima mea recordare & tu, quoties non solum à longè non secuta fueris Dominum, sed & plane desereris, cum & aufergeris ab eo qui tamen ipsa est bonitas infinita, & tibi acclamavit dicens. *Reverte, Reverte, sum mitis.*

§. 109. Accenso autem igne in atrio. v. 55.

Quia tempus primi veris, adhuc frigidum erat, maximè nocte, & multitudo populi, & famulorum, & militum, in atrio hærebat, ut ea se esse facere posset, & videre intrantes & exeuntes aulam pontificis, expectareque ibidem commodius tuorum principum & seniorum adventum & reditum à consilio, & ne tumultus fieret, aut impedimentum aliquod in tenebris à populo, & amicis Iesu Christi; ideo accensus est luculentus ignis: Erat igitur duplex eo tempore ignis in aula istius pontificis, nempe

corporalis in atrio, & spiritalis; qui est Christus intra conclavia pontificis inclusus; sed apud hunc tunc temporis, nulli ferè; apud istum multi se calefaciebant.

**O** Iesu ignis consumens: O Iesu; lux vera, ardebas in palatio, & nemo sentiebat ardorem ignis tui: Lucebas, ut sol, in tenebris, & tenebra non comprehende-  
*debas* splendorem tuum. O si ad te ita propinquarent homines, uti propinquant ad focos, quantum calerent, & quam bene; certe æternum.

§. 110. *Et circumfidentibus illis. v. 55.*

Ministris scilicet principum Iudæorum; nam milites in stationibus suis dispositos consistere debuisse est valde probabile, quibus non solet continuo focus strui, sed durius haberi, unde etiam ipsi cum potestatem accipiunt alios duriter tractare; consueverunt; utpote male sæpè tractati.

**O** Christe Iesu, da mihi, ut me omnibus discretè humanum exhibeam; neminem exasperem; neminem in eptè palpem; ut nemo jure offendatur.

§. 111. *Erat Patrum in medio eorum. v. 56.*

Quo devenisti Petre, qui paulò ante sedebas in medio sanctorum Apostolorum Christi, cum ipso, sancto sanctorum in mensa bibens vinum, quod miscuit sapientia Dei, in calice saturari; unde calefactus & quasi ebrius musto divini amoris præclarè pronuntiasti & declarasti coram omnibus; *Te paratum & in carcerem & in mortem ire cum Domino tuo.* Ecce nunc invenires in medio malignantium, in medio persequentium Dominum tuum ad terrestrem focum, qui antea ardebas igne divini amoris, nunc gelidæ, quasi mortis imago es; totus frigidus, totus congelatus, nesciens præ frigore amoris quid agas, quid dicas; voluisti antea medium tenere inter asseclas Christi, & Apostatas; & ideo sequabaris à longè. At istud medium non valere video, quia ad extremum devenisti.

**O** Deus averte à me pestem hanc Erasmicorum & Cassandristarum & Interemistarum, qui volunt esse medij inter Catholicos & hæreticos, inter tenebras & lucem; in consilium horum obsecro non veniat anima mea.

§. 112. *Quem cum vidisset ancilla quadam sedentem ad lumen. v. 56.*

Fortè Petrus præ dolore captivitatis Domini sui magis exanimis inter principum & seniorum ministros sedens, finem rescire volens ad ignem  
 sede-